

www.e-rara.ch

De finibus utriusque potestatis, ecclesiasticae, et laicae commentarius

Liruti, Innocenzo Maria

Lugani, 1779

Biblioteca Salita dei Frati, Lugano

Shelf Mark: BSF 37 Da 2

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-19061>

Caput XV. Longe abest ut imperanti liceat reditus, praedia ac fundos ecclesiarum, a clericis transferre ad laicos, vel fisco regio addicere: ubi errores de reditibus, & fundis ecclesiarum referuntur; ...

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien - von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material - from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes - des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

C A P U T XV.

*Longe abest ut Imperanti liceat Reditus, Prædia ac Fundos Ecclesiarum, a Clericis transferre ad Laicos, vel FISCO Regio addicere: ubi ERRORES de Redi-
tibus, & Fundis Ecclesiarum referuntur; & Erro-
rum istorum proscriptio ab ECCLESIA facta narratur.*

I. **A**D vindicandam Ecclesiis PROPRIETATEM Redituum ac Præ-
diorum, quibus illæ a pietate Fidelium donatæ sunt, *Cap.
super.* verba fecimus hominibus, quatenus Ratione utuntur, seu
solo naturali lumine præditi sunt. At *hoc. Cap.*, ad eandem Ecclesiarum
Proprietatem vindicandam, loquemur CATHOLICIS, qui, ut veri Ec-
clesiæ filii, sint parati vocem ECCLESIE audire ac sequi.

2. Scilicet hoc loco mihi propositum non est, nisi ERRORES nar-
rare, inuestos ab Hæreticis & ab Schismaticis adversus DOMINIUM re-
rum ac fundorum Ecclesiæ; ac primigeniis ex Fontibus docere, quam sen-
tentiam adversus Errores eos ECCLESIA Catholica tulerit.

3. Ex quibus quidem cuique deinde licebit de hodiernis Christianæ
Politice hostibus ac everforibus judicare, quorum minuti libri, erroribus
solum ac audaciâ grandes, typis dati hisce postremis annis fuere.

I. ARNALDUS Brixienfis.

4. *Arnaldus* (scribit OTTO Frisingensis Episcop. De Gestis Frideri-
cū Imper. Lib. 2. Cap. 21.), *ex Italia Civitate Brixia oriundus, ejusdem-
que Ecclesie Clericus, ac tantum Lector ordinatus, Petrum Abailardum olim
Præceptorem habuerat*

5. *Is a studio a Gallis in Italiam revertens, religiosum habitum, quo
amplius decipere possêt, induit*, *Dicebat nec Clericos Proprietatem,
nec Episcopos Regalia, nec Monachos Possessiones habentes, aliqua ratione sal-
vari*

viri posse. Cuncta hæc Principis esse, ab ejusque beneficentia in usum tantum Laicorum cedere oportere. Præter hæc de Sacramento Altaris, Baptismo Parvulorum non sane DICITUR sensisse

6. In Magno (Lateranensi 2.) Concilio Romæ sub Innocentio (secundo) habito accusatur. Romanus Pontifex, ne PERNICIOSUM DOGMA ad plures serperet, imponendum viro silentium decernit: sicque factum est. Hæc & alia de Arnaldo OTIO Scriptor cœvus; secundum editionem Muratorii in Tomo sexto Scriptor. Rev. Italicar.

7. Fateor vero, in Lateranensi Generali Concilio XI., habito anno 1139. Innocentio II. Pontifice, nullam reperiri apertam Arnaldi damnationem. Si summam doctrinæ spectes; ad rem facere aliqua parte posset Canon 25. qui sic se habet, in tom. 12. Concilior. edit. Ven. Colet. col. 1505. : Si quis præposituras, præbendas, vel alia ecclesiastica beneficia de manu laici acceperit, indigne suscepto careat beneficio. Juxta namque decreta sanctorum Patrum, LAICI, quamvis religiosi sint, NULLAM tamen habent disponendi DE ECCLESIASTICIS FACULTATIBUS POTESTATEM. Cujus Canonis secunda pars consentit cum Canone 4. Concilii Lateranensis I., quod anno 1123. a Callisto II. celebratum est.

8. Qui idem Canon quartus apud Stephanum BALUZIUM in Additione ad Caput 21. Libri 8. De Concord. Sacerd. & Imperi, inter hujus Lateranensis I. Concilii Canones, ab eo recusos ex pervetusto Codice MS. Monasterii Anianensis in prima Narbonensi, est Octavus. Damus nos tamen illum ex tomo allegato 12. Concilior. col. 1333. Juxta beatissimi Stephani Pape sanctionem statuimus, ut LAICI, quamvis religiosi sint, NULLAM tamen de Ecclesiasticis rebus aliquid disponendi habeant facultatem; sed secundum Apostolorum canones omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam Episcopus habeat, & ea velut Deo contemplante disperset.

9. Si quis ergo PRINCIPUM, aut laicorum aliorum, dispensationem, vel donationem rerum sive POSSESSIONUM Ecclesiasticarum sibi vindicaverit, ut SACRILEGUS judicetur. Legit BALUZIUS ex Codice Anianensi: Si quis ergo Principum aut aliorum vel laicorum dispositionem, vel donationem rerum, &c. Sed mendosa lectio certe est.

10. Etsi vero recitatus ARNALDI error non inveniatur damnatus manifeste in Lateranensi II. Concilio; nihil tamen adjumenti ex hoc capere quispiam potest; quasi Concilio visum sit, erroribus Arnaldi cæteris damnatis, hunc præterire. Etenim nec alius quispiam Arnaldi error in hoc Concilio commemoratus invenitur aut damnatus.

11. Quare non erat, cur quidam jactaret (Ragionam. intorno ai Beni

Eccles.

Eccles. pag. 36. -- 39.), Lateranense Concilium II. damnasse quidem Errores Arnaldi reliquos. At, illis damnatis, cum tanquam parvi momenti præterisse, qui fert, *nec Clericos proprietatem, nec Episcopos regalia, nec monachos Possessiones habentes, aliqua ratione salvari posse. Cuncta hæc Principis esse, ab ejusque beneficentia in usum tantum Laicorum cedere oportere.*

12. Intelligi sane non potest unde ille ista didicerit, aut disceret unde potuerit; præcipue cum admodum incertum sit, an quo tempore illud Lateranense Concilium est habitum, alium errorem ARNALDUS disseminaret, præter eum de quo diximus. Eos igitur errores damnare in Arnaldo Lateranenses Patres non potuere, quos tunc nondum ceperat spargere: damnasse autem, ex Actis illis Concilii quæ supersunt, vel etiam ex Scriptoribus ARNALDO coævis, doceri a nemine poterit.

13. Quæ vero fuerit Pontificum & Scriptorum illius ætatis de recitato Arnaldi ERRORE sententia; quod item Sancti BERNARDI Judicium de Arnaldo; satis jam notum est, & plenius docemur a Natali ALEXANDRO in *Hist. Eccl. Sæc. XI. & XII. Cap. 4. Art. 8.*, & a MAMACHIO *Del Diritto libero Lib. 1. Cap. 5. §. 2. -- 6. pag. 331. -- 346. tom. 1.* Et in decursu præterea *hujus Capituli* multo fiet exploratius; quid de errore illo sentire Catholicos universos oporteat.

II. MARSILIUS Patavinus, & Joannes de JANDUNO.

14. Natalis ALEXANDER *Hist. Eccl. Sæc. 13. & 14. Cap. 3. Art. 13.* scribit, *Marsilius de Menandrino Patavinus, & Joannes Jandunus Perusinus, Aristotelici magis quam CHRISTIANI, Politici magis quam Catholici, venales calamos Ludovico Bavaro schismatico Imperatori adversus Joannem 22. P. Max. & Ecclesiasticam auctoritatem commodarunt. Marsilius pestiferum librum de Jurisdictione Imperiali, & Pontificia anno 1324. ipsi nuncupavit, quam inscripsit Defensorem Pacis cui etiam consarcinando damnatissimam operam JANDUNUS impendit.*

15. *Hos errores homines impii propugnarunt. I. Christum Dominum, quando solvit tributum Cæsari, id ex necessitate & obligatione, non ex pietate fecisse; quod res ejus temporales Imperatori subessent: Ex quo inferebant, res Ecclesiæ Temporales ita Imperatori subiectas esse, ut velut suas pro libito repetere illas possit. VII. Ecclesiam bona temporalia possidere non posse. XII. Principis esse numerum Ecclesiarum factorumque Ministrorum decernere, & Beneficia Ecclesiastica.*

conferre ; Religiosos Ordines approbare , de rebus Temporalibus ad PIAS causas destinatis disponere

16. Errores præcipuos erudite ac prolixè refellit JOANNES 22. in sententia illa sua , quam apud Odoricum Raynaldum ad annum 1327. num. 27. legere est. Hæc P. ALEXANDER.

17. Hæc Joannis 22. Constitutio , ad annum memoratum RAYNALDI tenet numeros 28. -- 35. pag. 326. &c. tomi 15. edit. Colon.-Agripin. 1691. Pauca hæc damus ex ea : In primis itaque isti viri reprobi (ait Pontifex) dogmatizare præsumunt , quod illud , quod de Christo legitur in Evangelio B. Matthæi , quod ipse solvit tributum Cæsari , quando staterem , sumptum ex ore piscis , illis , qui perebant didrachma , iussit dari , hoc fecit non condescensivè & liberalitate suæ pietatis sed necessitate coactus

Ex prædicto autem dicto suo nituntur concludere præfati viri reprobi , quod omnia temporalia Ecclesiæ subsunt Imperatori , & ea potest accipere velut sua . Videntur enim supponere , quod ex hoc , quod Christus tributum solvit ex debito , res temporales ejus Imperatori subessent ; & per consequens , quod res Ecclesiæ temporales sint Imperatori subjectæ & eas possit recipere velut suas . Quæ quidem conclusio nullatenus ex præmissis sequitur , nec sequi potest etiam apparenter

Secundo , isti filii Belial dogmatizare præsumunt , &c. Pergit Pontifex ; & , quinis Schismaticorum illorum articulis recitatis ac sermone prolixo confutatis ; Sententiam adversus eos subjicit , edicens :

Articulos prædictos , videlicet quod illud , quod de Christo legitur in Evangelio beati Matthæi , quod ipse solvit tributum Cæsari , quando staterem sumptum ex ore piscis illis , qui perebant didrachma , iussit dari , hoc fecit non condescensivè & liberalitate suæ pietatis , sed necessitate coactus ; item , &c. ; velut S. Scripturæ contrarios & fidei Catholicæ inimicos , hereticos , seu hereticales & erroneos ; necnon & prædictos MARSILIUM & JOANNEM (Jandunum) HÆRETICOS , immo heresiarcas fore manifestos & notorios sententialiter declaramus , Si quis doctrinam prædictam defendere , vel aprobare præsumperit , tanquam HÆRETICUS ab omnibus confutetur .

18. Pergit autem RAYNALDUS num. 36. ibid. Alvarus Pelagius in libro de Planctu Ecclesiæ Lib. 1. Cap. 68. duas alias hereses insuper MARSILIUM vomuisse memorat his verbis : Dicit enim ille perfidus Marsilius , quod , &c. Insuper quod dicit ille impius , subdolos , & sophista , quod Ecclesiæ Temporalia habere non potest , falsum est , quia nedum laici , sed etiam clerici possunt habere temporalia & proprium . Sed illa de antiqua hæresi traxit ; hi sunt enim hæretici , qui condemnant proprium habentes in hoc

in hoc mundo , 24. qu. 3. *Quidam* verlic. *Apostolici*. Alii etiam sunt, qui dicunt, quod a tempore Silvestri Papæ, qui recepit donationem a Constantino, de qua 96. di. *Constantinus*, Ecclesia non fuit in statu salutis.

19. Sed istis mentita est iniquitas sibi; nam Ecclesia primitiva habebat pecunias & proprium in communi Deinde fideles dederunt eis possessiones, quæ in ditione Episcoporum consistunt, 12. q. 1. *Videntes*, de prædiis Ecclesiarum, 12. q. 2. quasi per totum Quod autem & Episcopi & alii Clerici possint habere proprium in speciali, qui Religiosi non sunt, clarum est, &c.

20. *Sparsi* sunt (subdit RAYNALDUS num. 37.), præter memoratas hereses plures alii errores in venenatis MARSILII libris, &c. Adeas, si placet, Tomum 3. Bibliothecæ Maximæ Pontificiæ pag. 244. - 251., ubi in citato Capite 68. Libri 1. *De Planctu Ecclesiæ* plura legere poteris ab ALVARO PELAGIO Episc. Sylvensi in Lusitanorum Algarbiis scripta adversus multiplices MARSILII Patavini Errores.

III. WALDENSES.

21. Joannes de POLEMAR Archidiaconus Barcinonensis, Apostolici Palatii causarum Auditor, in Oratione, qua civile Dominium Clericorum in BASILEENSI Concilio anno 1433. defendit adversus Bohemos, scribit, tom. 17. Concil. edit. cit. col. 1216. : *Fuit quidam Cancellarius Parisiensis, qui sic initiat suum tractatum: Error Waldensium fuit, successoribus Apostolorum, videlicet Papæ & Prælati Ecclesiasticis, repugnare dominium in temporalibus, nec eis licere habere divitias temporales Hanc opinionem erroneam omnes putant Prælati enim Ecclesiæ non repugnat habere dominium in temporalibus & Jurisdictionem.* Hæc, nec multo plura Polemarius de hac re.

22. Natalis vero ALEXANDER Hist. Eccl. sæc. XI. & XII. Cap. 4. Art. 13. §. 2. hos Waldensium errores circa Ecclesiastica temporalia Bona recenset: XIV. Clericos possessiones habere non debere, secundum illud Deuteronomii 19. Non habebunt Sacerdotes, &c. XV. Clericos & Claustrales, præbendas habere non debere. XVI. Episcopos & Abbates Jura Regalia obtinere non posse. XVIII. Malum esse fundare dotareque Ecclesias & Claustra. Item non esse condenda Ecclesiis testamenta, &c. XIII. Decimas solvendas non esse: Siquidem Ecclesiæ primitivæ non solvebantur. Lege sis, ibidem, & §. 7. de Waldensium damnatione, & Impugnatoribus.

IV. WICLEFI Errores postremi ; & Errorum fundamenta.

23. Joannes WICLFF Anglus, Doctor Theologus, Ecclesie de Luthlevvorth Lincolnienſis Diœceſis Rector, docuit articulo 10., inter eos, quos Synodus CONSTANTIENSIS ſeſſ. 8. damnavit, *Contra Scripturam ſacram eſſe, quod viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones.* Articulo 32. *Ditave Clerum, eſſe contra regulam Chriſti; & horum familia in articulis reliquis.*

24. Sed conſiderandus in primis eſt articulus 16. qui ſic eſt: *Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre Bona Temporalia ab Eccleſia, poſſeſſionatis habitualiter DELINQUENTIBUS, id eſt, ex habitu, non ſolum actu, delinquentibus.* Vid. Concil. tom. 16. col. 120. ſeq. edit. Ven. Colet.

25. Hoc articulo 16. recitato, ſubjungit Natalis ALEXANDER Hiſt. E. ſæc. 13. & 14. Cap. 3. cit. Art. 22. §. 3. *Facilitatem revocandi donationes & reſcindendi dotationes Eccleſiarum colligebat Wickleſſus ex jure Regaliae, quo Rex Angliæ fruēbatur: Conſtat, inquit, ex Regalia Regis Angliæ quod decedente Epifcopo vel Abbate, aut quocunque notabiliter dotato. &c. Angliæ, temporalia ejus ad denotandum Regalia Regis cadere debent in manum ejus: & non procedetur ad electionem, niſi obtentâ Regis licentiâ, nec habebuntur ab electo mortificata Regni deminia, niſi Rege noſtriter approbante.*

26. Contineat ergo ſe Rex ab innovatione delicti, maxime Progenitorum ſuorum, & in brevi erit totum Regnum purgatum a mortificatione ſolida bonorum temporalium, quæ jam ſunt in manu mortua. *Hæc Hæreſarcha apud Thomam Vvaldenſem.*

V. WICLEFI Errores PRIMI. Damnati.

27. Cæterum Wicleſus ab initio errores ſuos aliquanto aliter, ac lenius, propoſuerat; quemadmodum videre licet in Epiftoſa GREGORII XI. ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, & Epifcopum Londinenſem de iisdem Erroribus (ſunt autem univerſim XIX.) data Anno 1377., quam habes in tomo 15. Concilior. edit. cit. col. 917. -- 919.

28. Ad rem noſtram faciunt articuli hujus Epiftoſæ, ſextus, *ſi Deus eſt, Domini temporales poſſunt legitime ac meritoſe auferre bona fortuna ab Eccleſia DELINQUENTE,* Septimus, *Numquid Eccleſia eſt in tali ſtatu vel non, non eſt meum diſcutere, ſed Dominorum temporalium examinare, & poſi-*
ta ca-

to casu confidenter agere, & in pena damnationis ejus temporalia auferre. decimuseptimus, Licet Regibus auferre temporalia a Viris Ecclesiasticis, ipsis abutentibus habitualiter. decimus octavus, Sive Domini temporales, sive Sancti Papæ, sive Sancti, sive caput Ecclesie, qui est Christus, dotaverint Ecclesiam bonis fortune vel gratie, & excommunicaverint ejus temporalia auferentes; licet tamen propter conditionem implicitam DELICTO proportionatam eam temporalibus spoliare.

29. Hos vero cum cæteris primos Wicleffi errores GREGORIUS XI. ex Cardinalium consilio (ait ALEXANDER. art. 22. memor. §. 6. num. 1.) damnavit. Wicleffi dogmata pleraque cum damnatis Marfilii Paravini & Janduni erroribus congruere monuit in litteris ad Anglos datis, quæ in memorato 15. tomo Concilior. editæ sunt col. 914. -- 917. Sunt autem epistolæ duæ; & utraque inscribitur Archiepiscopo Cantuariensi, & Episcopo Londoniensi.

30. Idem Pontifex in alia supra citata Epistola affirmat, Wicleffi conclusiones non solum esse erroneas in FIDE; sed si bene advertatur, innuant, ait, omnem destruere POLITIAM.

31. Regni Comitii sive Parlamento Londini anno 1382. congregato, has, inter cæteras Propositiones Wiclefus obrulit: Secundam, Quod nec curia Romana, nec Avenionica, nec alicui extera emittatur Regni pecunia, nisi doceatur hoc esse debitum ex Scriptura. Quintam, Quod Regni communitas non oneretur tallagiis insuetis, antequam totum patrimonium, quo Clerus dotatur, deficiat. Patet quia omnia ista sunt bona pauperum charitative exponenda ad eorum egentiam, vivente Clero in perfectione primaria paupertatis.

32. Sextam. Quod quocunque Episcopo vel Curato dotato de Anglia in contemptum DEI notorie incidente, nedum liceat Regi, sed teneatur sua temporalia confiscare.

33. Has Wicleffi propositiones (ait Nat. ALEXANDER §. 6. annotat. num. 10.) refert Walsinghamus in Richardo secundo. Illas Anglicani Proceres, ut par erat, REJECERUNT.

34. Anno vero 1388. Rex, ut idem ALEXANDER narrat, libros Wicleffi & sequacium proscripsit, ac igni tradi jussit; erroresque propugnari prohibuit.

35. Habetur in tomo 15. Concilior. citato col. 961. sub Anno 1382. ejusdem RICHARDI Regis Edictum, datum ad preces Willelmi de Courtenary (de quo dicemus num. 39. -- 43.), per quod auxilium coercitionis sæcularis adversus Wiclefitas concedit, ac Regiis Ministris mandat, ut Episcoporum petitionibus obsequantur, quoties fuerint ab istis requisiti contra de-

tra defensores Errorum, quos Courtencius cum Suffraganeis in Synodo Londinensi damnauerat .

36. *Vicleffistas Edictis suis (pergit ALEXANDER) pariter infectati sunt & coercuerunt Henricus IV. & Henricus V. Reges, ut Nicolaus Harpsfeldius in Historia Vvicleffiana Cap. 17. obseruat; Unus, inquit, ex præcipuis scopis quo Vvicleffiani collimabant, ille erat, ut possessiones omnes Clero excuterent, atque in summa illum egestate constituerent.....*

37. *laetabant itaque, temporales Ecclesiæ possessiones, quas Monastici Viri, & alii ex Clero, male & perditæ (ut isti aiebant) collocabant, posse insignem & incredibilem Regi Regnoque fructum afferre. Possent ex his emolumentis 15. comites, 1500. Equestris ordinis homines, duo millia Armigerorum (ut appellamus) ad Reipublicæ defensionem atque tutelam foveri. Possent præterea centum pauperum hospitia ædificari, præter viginti mille librarum annuus proventus qui Regio Fisco accederent. Hæc certe fuit novum SUB PIETATIS SPECIE aucupium, quo Reges facile irretiendos existimabant.....*

38. *Sed privatis REGES compendiis Dei & Ecclesiæ honorem pro inrita sua pietate prætulerunt..... HENRICUS præterea uterque Vvicleffianorum insolentiam SEVERISSIMIS LEGIBUS coercuit. Henricus pater maximorum comitiorum auctoritate constituit & sancivit, &c. &c.*

VI. Iterum de WICLEFI Erroribus POSTREMIS; Et de variis Sententiis adversus eos latis.

39. *Ut ad Errores Vvicleffi postremos, quos Constantiense Concilium damnavit, redeamus: Eos Anno 1382. commemorato notaverat jam Synodus Londini habita in Corventu FF. Prædicatorum a Primate Cantuariensi Guillelmo Courtencio seu DE COURTENAY & septem Episcopis, cum omnium Ordinum Theologis ac Juris Canonici Doctõribus .*

40. *Eorum errorum aliquos proclamavit hereticos, & determinationi Ecclesiæ repugnantes; alios erroneos & determinationi Ecclesiæ repugnantes. Ad primum genus pertinet ille, Est contra Scripturam Sacram quod Viri Ecclesiastici habeant possessiones temporales.*

41. *Alteri generi Synodus annumerat illum: Domini temporales possunt ad arbitrium auferre bona temporalia ab Ecclesiasticis habitualiter DELINQUENTIBUS; & populares possunt ad arbitrium Dominos delinquentes corrigere. Habes hæc Synodum in tomo 15. Concilior. edit. memor. col. 951. -- 962.*

42. Hac ipsa in Synodo habita est quælio in Nicolaum Hereford , Philippum Rapyngdon Canonicum Regularem, & Joannem Ayshton, WICLEFI discipulos. Priores duo vocibus ambiguis errores ex propositis præcipuos, ejurarunt; hinc; datis induciis, jussi sunt fidem suam clarius profiteri.

43. Tertius petulantius respondit; ac Hæreseos statim convictus atque damnatus est. HEREFORDIUS & Rapyngdonius articulum illum, *Est contra Scripturam*, in prima declaratione sic explicaverant: *Asserere quod est contra Scripturam Sacram, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones temporales, Adjunctâ pertinaciâ, concedimus quod EST HÆRETICUM.* Ad aliud Caput, *Domini temporales*, sic exposuerunt: *Quod Domini temporales possunt ad arbitrium eorum auferre bona temporalia ab Ecclesiasticis habitualiter delinquentibus. Concedimus quod EST ERROR, ad hunc sensum, quod possunt LEGITIME sic auferre bona temporalia Ecclesiasticorum extra casus limitatos in legibus ECCLESIAE & regnorum.*

44. Ad Concilium Londinense, anno 1396. celebratum a Thoma ARUNDELIO Cantuariensi Archiepiscopo cum Suffraganeis, mortuo WICLEFO, inter articulos alios XVIII., excerptos ex Trialogo Wiclefi, delati sunt & isti: XI. Numerorum 18. & Ezechielis 44. præcipitur simpliciter negative, quod nec Sacerdotes Aaronite, nec Levite habeant partem hereditatis cum aliis Tribubus, sed quod pure vivant de decimis & oblationibus XII. Non est major hereticus vel Antichristus, quam Clericus qui docet, quod licitum est sacerdotibus & levitis Legis Gratie, donari eum possessionibus temporalibus: & si aliqui ex prævaricatione in lege Dei sunt heretici, apostatae, vel blasphemii, sunt illi Clerici qui hæc docent. XIII. Non solum domini temporales possunt auferre bona fortuna ab Ecclesia habitualiter DELINQUENTE: non solum eis hoc licet, sed debent hoc facere sub pena damnationis æternæ.

45. En autem Censuras, ad hos articulos a Londinensi ARUNDELII Concilio datas. XI. articulus pro HÆRESI condemnatus. XII. articulus pro ERRORE condemnatus. XIII. articulus, ut HÆRETICUS in suo universali intellectu condemnatus. Hæc extant in Tomo 15. Concilior. cit. col. 999. -- 1002.

46. Prætermitto hic mentionem facere Decreti, quod anno 1413. sanxit Joannes XXIII. in Synodo Romana contra Libros Joannis WICLEFI, dialogum, trialogum, & alios plures, eorumque doctrinam; & adversus eos, qui hos Libros legerint, exposuerint, docuerint, vel tenuerint. Nam in hoc Decreto articuli speciatim non indicantur; sed genratim de libris & doctrina sententia fertur. Illud habes in Tomo Concilior. allegato col. 1379. - 1382. Lege sis, ibi & Concilium Londinense, anno eodem habitum
adver-

adversus Wiclefi sectatores a laudato ARUNDELLIO .

VII. SENTENTIA Concilii Oecumenici CONSTANTIENSIS
contra POSTREMOS WICLEFI Errores.

47. Synodus CONSTANTIENSIS (quod num. 23. commemoravimus) Sess. VIII. Errores WICLEFI quadragintaquinque proseripit . Sed sententiam prolatura præmonet in primis , quomodo eosdem reverendissimi patres , archiepiscopi , episcopi , pro tempore CANTUARIENSIS & Eboracensis , sedis Apostolica legati in Anglia , & Pragensis in Bohemæ Regnis , condemnarunt .

48. Tum subdit , iis suo jussu examinatis , repertum esse (prout in veritate est) aliquos & plures ex ipsis fuisse & esse notorie hereticos , & a sanctis patribus dudum reprobatos ; alios non Catholicos , sed erroneos ; alios scandalosos & blasphemos , quosdam piarum aurium offensivos , nonnullos eorum temerarios & seditiosos .

49. Propterea in nomine Domini nostri Jesu Christi hæc sancta Synodus , ait , SENTENTIAS prædictorum ARCHIEPISCOPORUM RATIFICANS & approbens , prædictos articulos & eorum quemlibet reprobat & condemnat ; inhibens omnibus & singulis Catholicis sub ANATHEMATIS interminatione , & ne de cætero dictos articulos , vel ipsorum ALIQUEM audeant publice prædicare , dogmatizare , &c.

50. Anno vero 1418. VIII. Cal. Martii , per tempus Sessionis Constantiensis XLI. , Martinus V. anno Pontif. sui 1. , sacro approbante CONCILIO per Constitutionem inter cunctas commisit omnibus Archiepiscopis & Episcopis , ut tamquam HERETICOS judicarent , & velut hereticos seculari Curie relinquerent eos , qui ARTICULOS seu libros & doctrinas heresiarcharum , Joannis WICLEFF & Joannis HUS , & Hieronymi , per Constantiensem Synodum cum suis auctoribus damnatos , tenere , credere & dogmatizare præsumpserint ; & ut omnes infamatos seu suspectos de tam pestifera labe ad singulos articulos (Wiclefi & Husii) juxta infra scripta interrogatoria ad quemlibet articulum convenientia , respondere compellant .

51. Inter reliqua autem interrogatoria , hæc ad rem nostram faciunt : Utrum credat , quod liceat personis Ecclesiasticis absque peccato hujus mundi habere possessiones & bona temporalia . Item , utrum credat , quod LAICIS ipsa ab eis auferre potestate propria non liceat ; immo quod sic auferentes , tollentes & involunten bona ipsa Ecclesiastica , sint tanquam SACRILEGI puniendi , etiamsi

MALE VIVERENT personæ Ecclesiastica, bona huiusmodi possidentes.

52. Item, utrum credat, quod huiusmodi ablatio & invasio cuiusque sacerdoti, etiam *MALE VIVENTI*, temere vel violenter facta, vel illata, inducat *SACRILEGIUM*. Vid. Concilior. tom. 16. edit. Ven. Colet. col. 751. - 765. ; & ibid. col. 1482. Concilii Oecumenici Constantiensis Fastos ab Hermanno Von der Hardt in compendium contractos.

53. Recte igitur a Natali *ALEXANDRO* in *Hist. Eccl. Sæc. 15. & 16. Cap. 2. Art. I. §. 3. num. 18.* ad hanc rem adnotatum fuit; *Hussitarum* (& *Wiclefitarum*) *heresim* damnavit rursus (post Constantiense Concilium) *Martinus V.* seu damnationem a Synodo Constantiensi factam promulgavit & executus est, formamque habendæ in ipsos questionis Archiepiscopis, Episcopis, & Inquisitoribus hæreticæ pravitatis Encyclicis Litteris, quæ incipiunt inter cunctas, datis Constantiæ octavo Kalendas Martii anno 1418.

VIII. *HUSSITÆ, & Joannes HUS. Sententiæ Theologorum Constantiensium de WICLEFITARUM Erroribus.*

54. Notum est, *HUSSITAS* *Wiclefitis* in plerisque Erroribus adhæsisse. Hinc *Martinus V.* (quod num. 50. -- 52. vidimus) utrosque simul damnandos censuit. Et Synodus *CONSTANTIENSIS* sicut errores *Wiclefitarum* Sessione VIII. proscripserat, ita *HUSSITIS* anathema intulit Sessione XV.

55. Sunt in tomo 16. cit. Concilior. col. 244. isti *HUSSITARUM* errores circa dominium Bonorum Ecclesiasticorum: *Dominus Papa, Episcopi, omnes Religiosi vel puri Clerici, titulo perpetuæ possessionis dotati, debent renuntiare illis in manibus brachii secularis: Quod si pertinaciter noluerint, per seculares debent regi. Non est major hæreticus vel Antichristus, quam ille clericus, qui docet, quod licitum est sacerdotibus & levitis legis gratiæ dotari in possessionibus temporalibus.*

56. Tandem: *Non solum possunt domini temporales auferre bona Ecclesiæ ab habitualiter DELINQUENTIBUS: nec solum hoc eis licet, sed debent hoc facere sub pena damnationis æternæ.*

57. Sequitur autem ibi col. 246. sententia ei fere per omnia similis, quam ex Sessione VIII. describebam num. 47. -- 49. Ista acta sunt Anno 1415.

58. Biennio ante, id est anno 1413. *Sacra Facultas Parisiensis* (ait Natalis *ALEXANDER* *Hist. Eccl. sæc. 15. & 16. Cap. 2. Art. I. §. 3. cit.*

cit. num. 6.) Auctore Gersono Cancellario, Joannis HUS errores ex illius Tractatu de Ecclesia excerptos damnavit. Hos articulos & censuram singulis instam refert Auctor hereticus Historie Joannis Hus, initio ejus Operum editæ. Hæc ALEXANDER. Do autem articulum 14. Quod Ecclesiastici MALE VIVENTES possunt & debent per Laicos coerceri per subtractionem decimarum, & aliorum emolumentorum temporalium. En censuram Facultatis: Error perniciosissimus & scandalosus, ad SACRILEGIA perpetranda saculares inducens, & Ecclesiasticam subjiciens libertatem.

59. in Appendice Concilii Constantiensis num. XXII. col. 846. -- 870. tom. 16. Concilior. habemus Theologorum Constantiensium brevem Censuram XLV. articulo WICLEFFI an. 1415. in Concilio proditam. Et ibidem num. XXIII. col. 870. -- 939. extat Theologorum Constantiensis Concilii diffusa condemnatio XLV. Articulo WICLEFFI. Ex his Articulis, decimum, & 16. jan. num. 23. & seq. protulimus; & sic exordiuntur, Contra Scripturam; & Domini temporales.

60. Auctores itaque censuræ brevioris ita de Articulo X. censent; Ista Conclusio est erronea & seditiosa. Sacra enim Scriptura non contradicit Legimus de Christo, quod ipse habuit loculos. Item 1. Corinth. 3. & ad Tit. 1. oportet Episcopum esse bene præpositum domui suæ, & esse hospitalem, quod esse non posset, nisi domum & hospitium possideret. Unde Augustinus ad Bonifacium, ubi loquens de se, &c. Item est seditiosa & incitatoria secularium ad recipiendas possessiones Ecclesiasticorum & Clericorum. vid. loc. cit. col. 850.

61. At in prolixiori Censura ad eundem Articulum X. ita lego: Iste articulus est contra legem divinam. Nam secundum legem divinam clerus veteris legis habebat 48. civitates, &c. Nec populus Christianus minus debet offerre domino sacrificia, oblationes, consecrare agros, possessiones & similia Nec clericatus novæ legis est minus idoneus habere sacrificia, oblationes, decimas Domini, possessiones consecratas Nam & Episcopum oportet esse hospitem, &c. Est igitur predictus Articulus HÆRETICUS vid. col. 883.

62. Ad XVI. Articulum, Domini temporales, venio. De hoc Articulo sic Censor primus judicat col. 853. tom. 16. alleg. ista assertio invitatur Dominos temporales ad avaritiam, rapinam & SACRILEGIA, contra bonos mores. Nam viri Ecclesiastici possunt habere bona temporalia Qui auferunt bona temporalia ab Ecclesia nocent etiam PAUPERIBUS, quod est crudele.

63. Censor vero alter Articulum hunc 16. appellat HÆRETICUM errorem, cum ei Scriptura Sacra contrarietur; & quia bona Ecclesie sunt specialiter bona DEI SACRILEGIUM est subtrahere bona Ecclesiastica Domino,

mino, & suo divino juri, auferendo ea ab ECCLESIA.

Consecrantur autem & sanctificantur talia bona temporalia Domino, institutione (id est, sine), possessione, per verbum Dei principaliter, active, & per orationem Ecclesie ministerialiter, impetrative Error prædictus obviat directe Sacre Scripturæ. Nam Levit. ultimo dicitur: Omne quod Domino consecratur, &c. Et in eodem capitulo dicitur post alia: Possessio consecrata ad jus pertinet Sacerdotum

65. Christus Dominus Deus est Rex, habens regnum Ecclesiasticum super terram, ad cuius regni coronam pertinent bona temporalia Domino consecrata Et cum servi talis Domini, scilicet CLERICI, sunt officiales & MINISTRI Ecclesiastici in illo regno, possessio consecrata pertinet ad jus talium; & non pertinet ad jus Temporalium Dominorum, quia tales non sunt ministri & officiales Ecclesiastici Per consequens administratio ac DISPENSATIO talium Bonorum Temporalium Ecclesie sue, ad officiales & Ministros Ecclesiasticos pertinet; non ad Dominos Temporales.

66. Ultimo loco Auctor istius Censuræ, ex morte Ananiæ & Saphiræ, seu ex illis Petri, Non est mentitus hominibus, sed Deo, tria colligit. Primo, quod bona temporalia Ecclesiastica sunt bona Dei, & non hominum, quomodo Anania & Saphira mentiti sunt Deo, & non hominibus. Secundo, quod qui fraudat de bonis Ecclesiasticis, injuriatur Deo & non hominibus Tertio patet ex ipso facto, quam gravis est culpa fraudare de bonis Ecclesie, & quam gravem IRAM DEI fraudantes incurrant. vid. col. 891. & seq. tomi illius 16. Concilior. edit. Veneto-Labbeanæ.

Hæc vero ex CENSURIS istis exscribebam non alio consilio quam Historiæ prosequendæ Errorum WICLEFI seu ut Theologorum etiam illorum de his Erroribus sententiam ac iudicium palam facerem.

IX. Recentior quidam Scriptor redarguitur ex Decretis CONSTANTIENSIBUS.

67. Ea omnia, quæ diximus a num. 23. ad hunc usque locum, si expenderit diligenter, ac una simul omnia contulerimus; intelligemus statim, nonnisi imperitissime ab Auctore libri, qui inscribitur *Dialoghi de Morti* pag. 127. & seq. edit. Ven. 1770. affirmari potuisse, propositiones WICLEFI, ad temporalia Ecclesie bona seu Reditus & Fundos Ecclesiasticos spectantes, reportasse la marca non di Eretiche, ma di erronee, e scardatose.

68. Quid enim eum juvat, quod il dotto Dupin nel compendio della sua

*sua Iſtoria della Chieſa al ſecolo XVI. ci faccia ſapere, che le Propoſizioni ER-
RONEE riguardavano i Beni Temporalì della Chieſa, e gli Ordini Religioſi?
Ea omnia, quæ in cauſa Wicleſitarum acta ſunt, diligenter expendiſſe oportuit: tum vero de mente Concilii pronuntiare.*

69. Tulit ne la marca non di eretico, ma di erroneo, e ſcandaloso, ille etiam WICLEFI articulus, Ditare Clerum, est contra regulam Chriſti; aut ille, Silvester Papa, & Constantinus Imperator erraverunt Ecclesiam dotando? Ita profecto, si hunc hominem audimus, qui inter alios de Rediti- bus & Fundis Ecclesiasticis articulos, recitat & istos; & eodem modo de istis ac de aliis pronuntiat. Confer. Cap. XIV. supr. num. 61. &c.

70. Atqui Archiepiſcopus COURTENEIUS in ſua Synodo Articulum, cum iſtis profuſus affinem, HERESIS nomine notavit. CONSTANTIEN- SE autem Concilium ratificavit & approbavit tum iſtius, tum aliorum Epiſ- coporum ſententias; prout vidimus num. 47.--49. & notavit tanquam hæ- reticum eundem articulum. Theologus Conſtantiensis in Cenſura proluxiori, a me num. 61. relata. En Articulum, pro HÆRETICO, a Synodo COUR- TENEI habitam: Est contra Scripturam Sacram quod Viri Ecclesiastici ha- beant poſſeſſiones temporales.

71. Quod autem ſpectat Articulum, Domini temporales poſſunt, &c.; in primis eum moneo, ut advertat ad notam ipſi illatam per Archiepiſco- pum ARUNDELIUM, de qua num. 44. & ſeq. diximus; itemque per Theo- logos Conſtantienses proluxiores Cenſuræ auctores; id quod ſuperiori num. 67. videre licet.

72. Tum ſuadeo, ut conſideret interrogatoria a nobis num. 50.--52. memorata, ad quæ MARTINUS V. eos reſponſuros decrevit, qui Wicle- ſum aut Huſſum olerent. Item, ut aſpiciat ad SACRILEGII crimen, cujus ibi a Martino fit mentio; quemadmodum facta eſt & in BASILE- ENSI Concilio per Joannem POLEMARIUM, & eodem tempore per ip- ſam PRAGENſEM Bohemorum Academiam; ſicuti num. 122. ſeq. & num. 127. ſeq. viſuri ſumus.

73. Expendat quoque Cenſuram Facultatis Pariſienſis, in eundem Ar- ticulum, auctore GERSONE, latam; quam afferebamus num. 58.

74. Proxime præterea, num. 114.--119. CLARIUS conſtabit, abla- tionem illam fuiſſe a damnatis Huſſitis eo tantum nomine propugnatam, quatenus loco pænæ imponeretur. Itaque, ex Huſſitica erronea opinione, oportebit primum, ut in Judicium vocati Eccleſiaſtici Viri, criminis dam- nentur, ac gravi PÆNA ob commiſſa crimina declarentur digni; tum ut in delectu pænæ imponendæ, ablatio hæc potius decernatur, quam alia
gravis

gravis pœna, quæ Clericorum manifestis delictis jure ac lege debeatur.

75. Sed adhuc hæc ipsa, sic temperata, Hussitica opinio, ab Ecclesia, a Theologis, & ab Academicis declarata est ERRONEA, & scandalosa; ne graviora commemorem. Et hoc fuisse Ecclesiæ de ea re judicium, non inficiatur interpretis noster. Omnes sane censent, Hussiticam illam opinionem, SACRILEGIIS viam pandere; esse regulam Morum impiam: atque huc recidit nota, quam noster admittit, *articuli scandalosi*.

76. ERRONEUM autem, seu ERRONEA PROPOSITIO quid sit, docebit nos Melchior CANO De Locis Theolog. Lib. 12. Cap. 10. pag. 388. Error, ait, qui est minus quiddam quam aperta hæresis, & CATHOLICÆ doctrinæ tamen contrarius est, propositio ERRONEA vocatur.

77. Scilicet, ut ibi paulo ante explicat CANUS, *Quædam sunt Catholicæ veritates, quæ ita ad Fidem pertinent, ut bis sublatis, fides quoque ipsa tollatur. Quas nos usu frequenti, non solum Catholicas, sed Fidei veritates appellavimus.*

Aliæ veritates sunt etiam ipsæ catholicæ & universales, nempe quas universa Ecclesia tenet, quibus licet everfis Fides quatitur, sed non evertitur tamen.

Quæ igitur propositiones hujus posterioris generis veritatibus contradicent, eas equidem ERRONEAS appello: quæ quoniam doctrinæ Catholicæ adversantur, errores sicut HERESI PROXIMI, hæreses non sunt. Hæc CANUS.

78. Sed ut Catholico Viro invisus fiat articulus propositus, Domini temporales; sufficit quod Concilium CONSTANTIENSE, super. num. 49., inhibuerit omnibus & singulis Catholicis sub ANATHEMATIS interminatione, ne de cætero articulos WICLEFI & Hussi, vel IPSORUM ALIQUEM audeant publice prædicare, dogmatizare, &c.

79. Neque enim audaciam Scriptoris illius purgat quod in Constantiensi Concilio *con la violazione del Salvocondotto in persona di Giovanni Hus, e di Girolamo di Praga siast data occasione ai Boemi Discipoli di Wicleff, di involvere in sanguinose guerre la Germania sotto la condotta del valoroso Zisca* (aprime tamen impii, & crudelis) *capo de' Taboriti*. Non puduit Catholicum Virum has calumnias, alias jam plene protritas adversus hæreticos, in Oecumenicum Ecclesiæ Concilium jactasse?

80. Quinam Hussi, & Hieronymo Pragensi Salvusconductus datus sit per Concilium & per Sigismundum Imperatorem, seu quibus liberi commearus litteris isti fuerint donati, & an vere fides hæreticis istis data, violata fuerit; didicisset sane, si, depravatis fontibus relictis, legisset potius Acta Sessionum Constantiensium, sextæ, 19. & 21. in tomo 16. Concilior.

cit. ; aut si adisset saltem Natalem ALEXANDRUM in *Hist. Eccl. Sac.* 156
& 16. *Dissert.* 7. ; cujus Dissertationis hoc thema est: *Sacra Synodus Con-*
stantiensis fidem Hereticis violandam non docuit : NEC AB EA, aut etiam a
Sigismundo Imperatore Joanni Hus, & Hieronymo de Praga violatam unquam
probabitur.

X. *Idem nuperus Auctor refellitur ex posterioribus Eccle-*
siasticis monumentis ; ex ipsorum PROTESTANTIUM
sententia ; & ex Theologicis Principiis .

81. Quid autem ? Anne Sacrosanctum Oecumenicum Concilium TRI-
DENTINUM inique judicavit, an erravit, quando *Sess. XXII. Cap. XI. de*
Reformat. censuit gravissimam pœnam decernendam in quoscunque Bonorum
Ecclesiæ cujuscunque, aut Pii loci invasores ? Catholicus hoc non dicet ; &
si dixerit, non is erit, qui videri vult.

82. Si quem Clericorum, ait sancta Synodus, vel laicorum, quacunque
is dignitate, etiam IMPERIALI, aut REGALI præfulgeat, in tantum ma-
lorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Ecclesiæ, seu cujuscvis
secularis, vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum
JURISDICTIONES, bona, census, ac JURA etiam FEUDALIA, &
emphyteutica (Jurisdictiones, & jura Feudalia conditionem lautiozem fa-
ciunt, & affluentiore potentiozemque statum. Hoc vero non sine causa
a me adnotari, ii sciunt, qui venalium quorundam Scriptorum hujus tem-
poris libellos percurrerunt) fructus, emolumenta, seu quascunque obventiones,
quæ in ministrorum, & pauperum necessitates converti debent, quocun-
que quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit . . . ;
is ANATHEMATI tamdiu subjaceat, quamdiu JURISDICTIONES, bona,
res, jura, fructus, & redditus, quos occupaverit, VEL QUI ad eum Quo-
modocumque, etiam ex donatione suppositæ personæ, PERVENERINT, Ec-
clesiæ, ejusque administratori, sive beneficiato, integre restituerit ; ac deinde a
Romano Pontifice absolutionem obtinuerit

83. Clericus vero, qui nefandæ fraudis, & USURPATIONIS hujusmo-
di fabricator, seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat, necnon, &c.

84. Ex his omnibus & singulis adductis sane est BENEDICTUS XIV.
in *Constitut.* 90. data ad Episcopos Germaniæ, quæ in tomo 1. Bullarii
Fi hujus

hujus Pontificis extat pag. 308. -- 310. edit. Rom., ut *Sacularizationem aliquot Ecclesiarum Germaniæ, aut earundem REDITUUM IMMINUTIONEM* a quibusdam propositam reprobaret, & nunquam tolerandam ediceret.

85. Scilicet ad rerum in Germania statum componendum, pacemque in ea stabiliendam, nonnulli hanc rem moliebantur. Et præterea non desunt (ait num. 3.) Catholicis Principibus, luxioris conscientiæ Theologi, & *ASSENTATORES*, qui ad eorum aures insusurrare non dubitant, fieri quidem non posse, Ecclesiastica bona in secularem statum redigantur; posse tamen *EA MINUI*; tum propter illorum abusum, tum propter immoderatum luxum

86. Nos (pergit) haud prætermisimus sententiam adeo *PERNICIOSAM* refutare, atque diluere: neque ob anius, vel alterius *ABUSUM*, generale aliquid statui debere, quo Ecclesia vetustissimis Juribus (Principatus adnexi Episcopatus) exuatur, quoque successoribus in perpetuum adimatur facultas ejusmodi bonis utendi in Ecclesiæ emolumentum, & juxta laudabilem piamque majorum institutionem.

87. Præter hæc dixerat Pontifex num. 1., se pro viribus evixæ curarum, ut omnia & singula Ecclesiarum Germaniæ *PRINCIPATUS*, jura, *JURISDICTIONES*, *HONORES*, bona, integra atque intacta permaneant; neque unquam concessurum, aut assensu comprobaturum, adversum hisce quidpiam fieri, ulloque modo attentari; cum omnino parati simus, ait, *SANGUINEM* potius nostrum omnem effundere, quam pati, ut Ecclesiæ jura, ac libertas violenter, & conscientia nostræ *MACULA* per ejusmodi assensum afferatur.

88. Ipse itaque Romanus Pontifex factus est, nec sibi licere assensum dare, ut Episcopatus, insignesque Abbatiæ, *SÆCULARI PRINCIPATU* cum eis conjuncto, præclarissimis juribus, spectabilibus honorificentissimis spoliarentur; aut in profanos usus Ecclesiæ *PATRIMONIA* convertantur, aut *IMMINUANTUR* illis *OPES*, quarum possessionem per non intermissam tot seculorum memoriam Episcopi Catholici integre sancteque servarunt; atque ea bona, quæ Ecclesiis summa pietate, ac liberalitate a majoribus donata fuerant, per abusum maxime reprehendendum, in sumptus & propria commoda usurpentur.

89. Curavimus, inquit, ut hæc ipsa Principibus sedulo inculcarentur ab Apostolicis Nuntiis, qui apud illos sunt Testati sunt, sibi consilia hujusmodi haudquaquam probari. Hæc ex laudatis *BENEDICTI XIV.* Litteris.

90. Discere ergo poterat noster ille quid de Ecclesiasticis juribus & Reditibus Christiana ferat doctrina, discere poterat a Conciliis, a Pontificibus, a Principibus ipsis; ne spernenda exponeret vera Jura Principis, dum

CAPUT XV.

dum falsa est aliena & asserere conatur .

91. Quod si quem forte gravat Concilia & Ecclesie Pastores ac Patres audire ; Ecclesie ipsius hostibus aurem saltem præbeat . Hieronymus SCHUARFF Jurisconsultus Vitembergenfis , in Comitibus Spirensibus Lutheri patronus , Centur. I. Consil. 48. n. 2. ita pronuntiat : *irradens res Ecclesiarum committit horrendum crimen SACRILEGII Sequitur quod PRINCIPES , & aliæ Potestates seculares usurpantes , & irradentes RES Ecclesiarum , ordinationi DEI resistunt .*

92. Joachimus MORLINUS , Lutheri & Melancthonis discipulus , apud Casparem Klock tom. 1. cons. 35. num. 107. & apud Besoldum in Docum. rediviv. Monaster. Wirtemb. p. 21. seq. Ecclesiis , ait , *subtrahere bona , est opus Juliani Justa essatum S. Augustini , NON remittitur peccatum , nisi restituatur ABLATUM , ut scribit LUTHER Docendi sunt MAGISTRATUS , nequaquam ipsis jus competere in Bona Ecclesiastica .*

93. WESSEMBECIUS Lutheranus , apud Arnoldum Hist. Eccl. & Heres. lib. 16. cap. 6. n. 2. ita scribit : *Ut in usum , & fiscum (Principis) Ecclesie proventus convertantur , nulla ratione potest effici Nec possunt res DEO , Ecclesieque semel dicata profanari , vel in profanos usus redigi , ne quidem propter abusum , cum potius in meliorem tunc usum sint convertende Quod si contra fiat , a SACRILEGIO , & homicidio non multum id putatur abesse .*

94. Philippus MELANCTON in Cateches. Tit. de Red. Eccl. p. 19. ed. Witem. 1562. T. 1. Op. Theol. Dominium , inquit , rerum (Ecclesiasticarum) pertinet non ad Pontifices , aut PRINCIPES , aut populum , sed AD ECCLESIAM ; hoc est , nec Episcopis , nec Principibus , nec populo licet hos redditus transferre ad alios usus , quam ad conservationem ministerii , & studiorum . Hinc facile judicari potest multiplicia esse FURTA in hoc genere Sicut enim milites dividunt VESTES CHRISTI , & de eis sortiuntur ; ita PRINCIPES , & potentes partiuntur inter se Episcopatus , & Sacerdotia , neglecto ministerio , & neglectis studiis . In editione Opp. Melancthonis Basileensi 1541. adeas tomum tertium pag. 242. & seq.

95. LUTHERUS ipse in Cap. 6. Amos Oper. T. 3. ed. Jenen. p. 529. sic de quibusdam Principibus ac Catholicis loquitur : *Ita per omnia nostri hodie Principes eadem IMPIETATE laborant Misere dissipari Ecclesias sinunt , dum neque ipsi docent ; nec qui doceant , alunt . Nam redditus , quos habent collegia Sacerdotum , quibus præsumt , fundi , ARCES , OPPIDA , in hunc usum juvanda Ecclesia A PIIS HOMINIBUS primum eis donata sunt .*

96. Idem LUTHERUS in Symposiacis edit. Hurifabr. 1567. pag. 193.

dixit: *Experientia testatum facit, bonis ecclesiasticis positos (LAICOS) denique ad MENDICITATEM redigi. Eusebio Hieronymo Job. Electoris Saxonie Consiliario familiare fuit hoc testimonium: Nos Nobiles BONA Monasteriorum equestribus nostris BONIS adjunximus. Jam vero MONASTERIORUM BONA DEVORARUNT NOSTRA equestria, & ita consumserunt, ut NEC ILLA, NEC HÆC amplius habeamus.*

97. Plures si cupis hostium Ecclesie Catholicæ sententias pro, re de qua nunc agitur, legas Opus *del Diritto libero della Chiesa* auctore Thoma MAMACHIO T. 4. pag. 407. -- 420. edit. 1770.

98. Sed Dialogorum Scriptor cautiorem, credo, se præbuisse, si regulam illam Theologiæ Christianæ considerasset, quæ habet, Hæreticum peramque esse illum, qui adhæret Propositioni ab Ecclesia damnatæ sub quacunque nota, sive tanquam hæreticæ, sive tanquam scandalosæ, vel falsæ, vel erroneæ, vel simili nota; Hæreticum, inquam, peramque esse ex hoc solum capite, quia dum hujusmodi Propositioni assensum præbet, simul judicat ut plurimum, Ecclesiam in sua illa Definitione errasse: quod utique hæresis est.

99. Nimirum, ut S. THOMAS docet lect. 4. in Caput XI. Epistola I. ad Corinth. pag. 74. tom. 16. Oper. edit. Rom. 1570. Pertinet aliquid ad disciplinam fidei dupliciter. Uno modo directe: sicut articuli fidei, qui per se credendi proponuntur Quædam vero INDIRECTE pertinent ad fidei disciplinam, in quantum ex negatione eorum sequitur aliquid contrarium Fidei: sicut si negetur Isaac fuisse filium Abrahæ, sequitur aliquid contrarium Fidei, scilicet sacram Scripturam continere aliquid falsi Sic igitur PERTINACIA, qua aliquis contemnit in his quo sunt Fidei directe vel INDIRECTE subire judicium Ecclesie, FACIT HOMINEM HÆRETICUM.

100. Hoc eodem Sancti Thomæ loco recitato, subdit doctissimus ille ac vere christianus Theologus MERDESIUS *Summ. Christian.* prima secundæ qu. 55. Concl. 2. pag. 164. tom. 1. edit. Paris. Ergo personæ possunt esse hæreticæ non solum repugnando iis, quæ directe pertinent ad Fidem, verum etiam iis, quæ INDIRECTE pertinent ad eandem fidem, si nimirum in iis, quæ utroque illo modo spectant ad fidem, ECCLESIE judicium subire remuant.

101. Positæ Regulæ certe innixus MARTINUS V. in Constitut. *Inter cunctas*, de qua num. 50. -- 52. verba fecimus, edixit, ut judicarentur tanquam HÆRETICI, & velut HÆRETICI seculari Curie relinquerentur ii, qui articulos WICLEFFI, Hussi, & Hieronymi Pragensis, per CONSTANTIEN-

TIENSEM Synodum damnatos, tenere, credere & dogmatizare præsumpissent; in quo nullam fecit distinctionem inter Defensores Articulorum, qui hæretici, aut qui scandalosi, vel Erronei essent: immo singulos paribus Interrogatoriis supponi voluit.

102. Regula autem modo posita, tunc maxime evidens cunctis est, quando de præceptis MORUM agitur. ECCLESIA enim in MORUM doctrina eorum, qui ad salutem necessarii sunt, errare non potest; ut bene ait Melchior CANO. Atqui, ubi quæritur, liceat ne PRINCIPI temporalia Ecclesiarum Bona tollere aut MINUERE, agitur de articulo MORUM gravi, adeoque ad SALUTEM necessario. Ergo Hæreticus est ille, qui Ecclesie Articulum hunc definiendi non acquiescit: judicat enim illam errasse in ea re, in qua vi Divinarum promissionum errare non potest; prout discere licebit ex eodem CANO *De Loc. Theol. Lib. 5. Cap. 5. qu. 5. Concl. 1. pag. 168. edit. Patav. 1727.* Est autem id Catholicis omnibus comperitum; ut non sit necesse in hoc confirmando morari diutius.

103. Quicumque igitur sub nota memoratos WICLEFFI Errores CONSTANTIENSE Concilium damnaverit; ille notam HÆRESIS ac damnationem non effugiet, qui illis post solemne Ecclesie judicium adherere ausus fuerit CUM PERTINACIA.

104. Hæc pauca obiter dicenda fuerunt, ut Catholicis minus peritis confuleremus, qui in libellum Dialogorum forte incidissent; ne incauti deciperentur. Redeo nunc ad historiam Errorum circa dominium Fundorum ac Redituum Ecclesie. Dicendum autem de iis est, quæ in causa HUSSITARUM post Constantiense Concilium acta sunt.

XI. HUSSITÆ mitiores seu Pragenses Calixtini, & Thaboritæ.

Prima Gesta in Concilio BASILEENSI cum Pragensibus, & Thaboritis.

105. Hussitæ, qui Thaboritæ nominati sunt a Civitate Thabor in Bohemia; immo & Pragenses ipsi, qui mitiores fuere Hussitæ, & sunt Calixtini appellati, sententiæ Catholicorum, & Ecclesie, in Constantiensi Concilio congregatæ, definitioni non acquieverunt; sed Anno 1421. Ca-
pita-

pitanei, Consules, totaque Communitas Civitatis Pragensis conjurarunt tum de tribus aliis Articulis propugnandis, tum de hoc, qui ad nostram rem pertinet, defendendo: *Quod dominium seculare super divitiis & bonis temporalibus, quod contra præceptum Christi Clerus occupat, in præjudicium sui officii, & damnum brachii secularis, ab ipso auferatur, & ipse Clerus ad Regulam Evangelicam & Vitam Apostolicam, quam Christus vixit cum suis Apostolis, reducatur.*

106. Et de hoc Articulo, simul & de reliquis, anno 1433. in Concilio BASILEENSI latissime disputatum est. Vid. Hist. Ecclesiast. Natalis ALEXANDRI Sæc. 15. & 16. Cap. 2. Art. 1. §. 2. num. 16.

107. In ea Synodo adversus illum Articulum Bohemis per triduum responsum fecit Joannes de POLEMAR Archidiaconus Barcinonensis, Causarum Sacri Palatii Auditor; cujus Orationem legere potes post Acta Concilii Basileensis in tomo 17. Concilior. edition. Veneto-Labbeana col. 1207.

-- 1269. Inscripta est: *Joannis, etc. Oratio, qua in Concilio Basileensi anno 1433. per dies tres refutavit quartum articulum Bohemorum, de civili dominio Clericorum, quem proposuit per triduum Petrus RAYNE Anglus (alibi in eodem tomo non semel legitur Payne; sed mendum est).*

108. Ad ea, quæ duobus præcedentibus annis 1431. 1432. acta fuerant inter Catholicos & Bohemos, spectant Epistolæ, & alia, quæ sunt in eodem Conciliorum tomo col. 443. 807. -- 811. 242. -- 246. 612. -- 615. 637. -- 639. 779. 798. -- 804. 686. -- 705. 1355. -- 1366.

109. Eum Articulum sic Petrus RAYNE proposuerat; prout videre licet in Oratione POLEMARII t. 17. cit. col. 1217. *Secularis possessio, sicut & civile dominium, jure divino & humano, doctorum sanctorum sententiis, & ratione efficaci, tempore legis Gratia prohibetur clero Christi.*

110. Deinde vero, teste eodem Polemar col. 1235. tom. cit. Concil., Bohemi, in scheda ultimo data dixerunt quod usus bonorum temporalium est ipsi clero licitus, ressecata omni SUPERFLUITATE & abundantia vitiosa.

111. Tandem cum restrictus a me (inquit idem Joannes de Polemar col. 1255. ibid.) pridem rationibus esset (Petrus RAYNE); concessit civile dominium in clero non esse prohibitum materialiter, sed formaliter; hoc est, prout postea videbimus, si hujusmodi dominium intelligatur, quod legibus sine honestatis & æquitatis, sive justitiæ non sit adstrictum.

112. Joannes autem de POLEMAR in Oratione memorata col. 1219. tom. cit. statuit, quod clerici non religiosi, licite possunt habere & possidere quæcumque bona temporalia, hereditates paternas, etc. Et quod Ecclesia potest licite habere & possidere bona temporalia, domos, prædia, vil-

las, oppida, castra, civitates, & in eis habere privatum & civile Dominium. Ita iterum afferenda sunt num. 132. -- 135.

113. Pergit deinde POLEMARIUS col. 1238. sic differens: Cum autem schedula ultimo data dicit: Dominium civile ipsi Clero Christi non congruit, aut convenit, sed nec licet ipsi in persona propria civiliter dominari; Si intendit quod clericus in persona propria non debet iudicium sanguinis exercere; fautor: tale tamen iudicium per laicos officiales faciet exercere, prout dicit Hugo, etc. Est Hugo Victorinus de Sacram. Lib. 2. Par. 2. Cap. 7. in Tom. 3. Oper. edit. Ven. 1588. fol. 277.

114. Alii errori patrocinati sunt Bohemi in Synodo BASILEENSI; cui item errori occurrendum fuit per Polemariium. Hunc audiamus col. 1240. ejusdem tomi, in laudata Oratione: Jam nil restat ex dictis ex adverso (a Bohemis), nisi finis schedulae ultimo datae, ubi sic habetur; Insuper circa praedictum punctum tenemus, quod IN TANTUM POTEST INIQUITAS REGNARE IN CLERO, quod IN DEFECTU spiritualis PRÆPOSITI liceret brachia Seculari auferre Bona Temporalia a Viris Ecclesiasticis habitualiter DELINQUENTIBUS.

115. Videamus quibus momentis assertionem suam Bohemi fulciverint. Dicebat itaque Petrus RAYNE; sicuti in POLEMARII Oratione col. 1263. -- 1269. tomi ejusd. videre licet: Reges veteris Testamenti auferrebant bona temporalia ad NUTUM DIVINUM ab Ecclesiasticis delinquentibus, igitur & reges novi Testamenti possunt similiter facere AD NUTUM DIVINUM, habitualiter delinquentibus Sacerdotibus novae legis. Unusquisque videt argumentum risu excipiendum.

116. Tum proferebat celebre Caput Si tributum XI. qu. 1. , quod sumptum ex Ambrosio est. Si tributum petit, &c. Non dono, &c.

117. Inter multa alia, hoc etiam Petrus RAYNE dixit, quod reffificatio facillima clericorum (sunt verba ex Oratione POLEMARII) esset per subtractionem temporalium; & medicina debet dari per quam aptius sanetur infirmus.

118. Post haec ad rationes meas, ait POLEMAR, nititur (Petrus Rayne) respondere.: Auctoritates (inquit RAYNE) per me (Polemariium) introducta loquuntur de Clericis NON DELINQUENTIBUS habitualiter.

119. Interim ex his, & maxime ex super. num. 114. vides vel ex HUSSITARUM sententia (quam tamen ECCLESIA damnavit), tunc tantum Ecclesiasticos Viros privari bonis temporalibus posse, quando id ipsi suis vitiis promeriti fuerint. Hoc jam monuimus contra nuperum quendam Scriptorem num. 74. seq.

120. Responderat autem superiori die POLEMARIUS, ac positionem RAYNI confutaverat; et si id & hoc loco faciat. Demus hic pauca ex illis, quæ col. 1249. -- 1252. extant. *Quomodo per seculare brachium, ait. bona a viris Ecclesiasticis possunt auferri, etiamsi fuerint DELINQUENTES? Talis assertio praxi & doctrinæ CHRISTI manifeste contradicit Sacerdotibus Synagogæ emolumenta, aut honorem, aut obedientiam a populo subtrahi Christus non consuluit; immo eis præstari & exhiberi mandavit.*

121. *Decem leprosis ab eo mundatis dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus Denuo cum Sacerdotum INCORRIGIBLEM conditionem ostendisset; dixit tamen: Omnia quæcumque dixerint vobis, servate, & facite.*

122. Legas ibidem alia, prolixè dicta, sed validiora: ex quibus hæc attulisse, mihi satis fuerit: *Cum res quæ templo DEI offeruntur, moriantur mundo, prout lex Dei habet Levitici ultimo; & efficiantur SANCTA Sanctorum, ut ibidem: quoniam Domini DEI SUNT, cujus procuratores Ecclesiastici sunt: PROPTER CULPAS PROCURATORUM res Domini usurpare ratio nulla consentit, sed cum aliena rei usurpatio furtum sit; res Ecclesie usurpare SACRILEGIUM est.*

123. Producit deinde POLEMARIUS sententias Patrum, & illud vulgatum Symmachi, 12. qu. 2. can. 21.; quibus SACRILEGII CRIMEN proclamatur contra invadentes bona Ecclesie, etiam PRINCIPES.

124. *Sed adversus hæc forsitan (pergit Joannes de POLEMAR) diabolica tentatio suggeret: Hoc verum, cum sacerdotes bene ipsis rebus Ecclesie utebantur; secus ubi ex ipsis rebus Ecclesiasticis male vivant Sed Augustinus can. 14. q. 5. Forte aliquis hoc secum cogitat, & dicit: Multi sunt Christiani divites, avari, cupidi: non habebō peccatum, si SUUM illis abstulero, & PAUPERIBUS dederō: inde enim illi nihil boni agunt. Mercedem habere potero, si ego ELEEMOSYNAS dederō. SED hujusmodi cogitatio DIABOLI calliditate suggeritur. Nam etiamsi TOTUM tribuat Pauperibus, quod abstulerit, ADDIT potius PECCATUM quam minuit.*

125. *Et idem Augustinus ea causa & questione: Neque enim si agris inique ac perperam invasis ita quisque utatur, ut ex eorum fructibus largas eleemosynas faciat, ideo RAPINAM justificat, ec.*

126. *Propellenda est utique (colligit POLEMAR) talis assertio, quod propter Clericorum VITIA licitum laicis sit ad Christi patrimonium manus apponere. Et facile posset præbere aditum ad simile asserendum de REGIBUS, PRINCIPIBUS, & aliis dominis temporalibus. NEC desistere qui hoc simili modo asserere jam præsumpserint: quod esse fomitem scandalorum, & seditio-*

num & subversionis totius humane POLITIÆ cunctis intellectu vigentibus palam est. Hæc pauca speciminis cujusdam loco decerpisse in utramque partem ex laudata POLEMARII fusissima Oratione, satis fuerit.

127. Non multus tamen (ut fere accidit ubi de contumacibus ad sanitatem reducendis agitur) ex habita in BASILEENSI Concilio inter Catholicos & HUSSITAS disputatione fructus enatus est. Interim Pragensis Academia Theologi (ait Natalis ALEXANDER Hist. Eccl. Sæc. 15. & 16. Cap. 2. Art. 1. §. 4. num. 3.) a Bohemiarum Baronibus rogati, ut suam de quatuor articulis sententiam aperirent, Schedulam Oratoribus Concilii porrexerunt (qui in Bohemiam a Basileensi Concilio, postquam in eodem hæc causa frustra agitata fuerat, missi erant), eorum explicationem continentem

128. De bonis Ecclesiæ (Theologi illi) dixerunt : Quia non debent seculares, vel alii Bona Ecclesiastica (quia sunt communia, & quia sunt Patrimonium CRUCIFIXI, ejus Ecclesiæ, & pauperum) sibi appropriare, quoniam SACRILEGIUM ESSET.

129. Quia tamen (pergunt Theologi in sua scheda) pro opposito quasi semper objicitur, quod talia bona sint superflua, ad hoc dixerunt : Si sunt superflua, tunc illi qui habent super ea potestatem DISPENSATORIAM, convertunt in usus pios & communes. Ad nos talia non pertinet diffinire. At civiliter non debere super his dominari dixerunt, quia Dominium civile (ut videtur) presupponit pro subjecto bona temporalia per modum proprietatis possessa.

XII. Gesta Basileensia postrema de HUSSITIS mitioribus ; Et Compactata PRAGENSIA ; quorum Annus firmiter stabilitur.

130. Reversi eodem anno 1433. ad Synodum Basileensem Oratores Bohemorum, iterum quatuor Articulos (ait ALEXANDER num. 4. §. ejusdem 4.) Patribus obtulerunt, rogaruntque ut intuitu Ecclesiasticæ unitatis ac pacis ipsos libere doceri, & irrevocabiliter observari in Regno Bohemiarum, & Marchionatu Moraviae, locisque illis adhaerentibus, permitterent.

131. Erat autem, pro re nostra, Articulus IV., Ut non liceret Clerico tempore legis Gratiæ, super bonis temporalibus SÆCULARITER dominari. Eos quatuor Articulos exhibet Appendix Concilii Basileensis col. 586. s. q.

tomi 17. Concilior. edit. Venetæ Nicolai Coleti.

132. *Secundum hæc* (pergo cum P. ALEXANDRO ibid. num. 5.) *Basileâ Pragam cum tribus Oratoribus Bobemorum reversi sunt quatuor Synodi Legati, qui & antea in Bobemiam missi fuerunt, LEGATI in pu- blico Nobilium & Plebejorum Conventu articulum de Sæcula- ri Dominio Clericorum in bona Temporalia, sic explicuerunt: Meminimus quod- dum in Sacro Concilio super hoc disputatio ageretur publica & solemnis, ille qui ad disputandum per Sacrum Concilium extitit deputatus, duas Con- clusiones posuit sub his verbis: Prima, Quod Clerici non Religiosi, licite possunt habere & possidere quæcumque bona temporalia, hæreditates paternas*

133. *Secunda, Quod Ecclesia potest licite habere & possidere bona temporalia, domos, prædia, villas, oppida, castra, civitates, & in eis habere privatum & civile dominium.*

134. Ille siquidem ex vestris Ambasiatoribus, qui disputabat, **CON- CESSIT** easdem, dicens: Illas sensui sui Articuli bene intellecto non con- tradicere; cum ipse Articulum suum intellexerit de Dominio civili forma- liter intellecto. Ex quo & aliis fatis posset intelligi, quod verba, *secu- lariter dominari*, in præinserto articulo posita, ad aliquem specialem do- minandi modum vel usum videantur referri.

135. Sed quoniam doctrina Ecclesiæ non est verbis ambiguis pertrac- tanda, sed plane; propterea illud quod secundum legem Dei, & San- ctorum documenta Doctorum Catholice tenendum est, duximus exprimen- dum, videlicet; Præmissas duas Conclusiones esse veras: Quodque Eccle- siastici Viri bona Ecclesiæ, quorum sunt Administratores, debent fideliter administrare, juxta SS. Patrum salubria instituta. Ipsaque bona Ecclesiæ ab aliis injuste non debent detineri, vel occupari.

136. Declarationem istam Comitia susceperunt. Et hanc reducendæ uni- tatis formam *Compactata Bohemi* vocaverunt: *hujusque obtentu nominis, ait ALEXANDER, & tutati aliquando se sunt, & Catholicos oppugnare tenta- runt* (; cæjus rei specimen aliquod habes in tomo 17. cit. Concilior. col. 211. -- 216. ac 610. seq.)

137. *Concepta sunt Pragæ Anno 1433. die ultima Novembris, & post- modum Iglaviæ (oppidi Moraviæ) consummata & firmata, anno 1436. Hæc & plura Natalis ALEXANDER scribit §. 4. indicato De Gestis a Synodo Basileensi in Causa Bobemorum, & de compactatis Pragensibus.*

138. Ad tractatus, & alia, quæ ab Anno 1433. ad 1436. acci- derunt, pertinent Epistolæ, quæ in tomo 17. Concilior. cit. habentur col.

col. 610. 761. seq., 776. -- 778. 804. -- 806. 811. -- 814.

139. Sed præcipua animadversione dignum est Conciliabulum BOHEMICUM, habitum anno post concepta Pragæ Compactata; nempe 1434., quod Jo. Dominicus MANSIUS e Vindebonensi Casarea Bibliotheca manuscripto Codice primus vulgavit in tomo 6. Supplem. Concilior. col. 553. -- 560.

140. Cujus Conciliabuli exordium sic se habet: *Incipiant articuli Synodi generalis Regni Bobemiæ, celebratæ Anno 1434. in festo S. Jacobi Apostoli in civitate inclita Pragensi.* Inter hos Articulos locum habent & celebres illi quatuor, de quibus in Basileensi Concilio disputatum fuerat anno superiore, & de quibus conventum erat in *compactatis*.

141. Sed eos suo modo, adhuc post concepta Compactata, Bohemi ponunt. Nam Quartus de temporalibus Ecclesiæ Bonis, ita se habet, sicut a Pragensibus in Basileensi fuerat propositus: *Non licet Clero tempore legis gratiæ super bonis temporalibus seculariter dominari.* vid. supr. num. 131.

142. Legi possunt Compactata (pergit ALEXANDER loc. annotat.) apud Joannem Cochleum Lib. 7. *Historiæ Hussitarum. De vocatione Bobemorum ad Concilium Basileense, & de Tractatibus cum ipsis initis, extat etiam Historica narratio, quæ ab Ænea Sylvio (postea Pio II. Pont. Rom.) scripta videtur, edita ab Orthuino Gratius in Fasciculo Rerum Expetendarum, & Historiæ Bobemica ejusdem Æneæ Sylvi, editionis Freberi post. cap. 50. inserta, ac tandem relata in Tomum 12. Conciliorum Edition. Parisien. anni 1672.* Hæc ALEXANDER. Apud GRATIUM ORTHUINUM historica illa NARRATIO extat in tomo 1. Fasciculi pag. 311. &c. edit. Londin. 1690.

143. In editione vero Concilior. Venero-Labbeana, NARRATIO ea historica locum accepit in tomo 17. sæpius memorato col. 197. -- 212. Et adnotatum est in ora paginæ: *Inserta est historiæ Bobemica ÆNEÆ SYLVII post cap. 50. in editione Freberica; ex rerum expetendarum fasciculo, quem M. Orthuinus GRATIUS non satis fideliter & prudenter congescit, Consentiant ista cum adnotatis a Natali ALEXANDRO.*

144. Habes autem ab hujus Tomi Conciliorum col. 205. ad 212. partem Compactatorum præcipuam, ac imprimis declarationem Quatuor Articulorum integram. Sed genuinum, integrum, ac purum Compactatorum Exemplar, his temporibus inter Concilia retulit Joannes Dominicus MANSIUS; prout num. 146. & seq. dicendum a nobis est.

145. Quod Annum attinet initæ pacis inter Catholicos & BOHEMOS; in ea historica NARRATIONE non Annus 1436. ponitur, ut apud ALEXANDRUM, sed 1438.

Verum ex Epistola, quam in eo 17. Tomo Concilior. habemus col. 778., exploratum fit, vere Pacem initam Anno 1436. Nam per eam epistolam, Legati Concilii Basileensis ad Bohemos, Concilio nuntiant optatam pacem tandem esse coalitam: & data est Epistola Iglavie, quinto mensis Julii, Anno Domini 1436.

Hodie (ajunt Legati (in publico foro hujus civitatis (Iglavie) numerosa populi multitudine assistente, coram nobis tuæ beatitudinis montijs, gubernatur, barones, nobiles civitatum, ambasiatores regni Bohemie, primum nobis COMPACTATA obtulerunt, literis authenticis communita. Deinde pro ipsorum executione de tuenda, observanda & defendenda unitate Ecclesiastica & pace, literas alias Post hæc quatuor ad hoc deputati cum pleno & authentico mandato, nomine omnium tam Ecclesiasticorum, quam secularium, reverentiam & obedientiam canonicam præstiterunt. Nos quoque, &c.

146. Sed omnem difficultatem tollit genuinum ac purum Compactatorum Exemplar, quod sub anno 1443. Joannes Dominicus MANSI vulgavit in tomo sexto Supplementi ad Concilia Veneto-Labbeana col. 665. -- 670. ibi enim, secundum ea quæ ex Natali ALEXANDRO retulimus, COMPACTATA dicuntur inita in civitate Pragensi, in Collegio quod dicitur Collegium Caroli, A. D. 1433. Mensis Novembris die ultima; firmata vero, una cum Declarationibus novis Mense Martio IGLAVIE 1436.

147. Hæc compactata, ait MANSIUS in Admonitione, quod a LABBEO sive omissa sint, sive ex alio quam ex tabulis publicis data, & hinc inde ressecta, integra huc transferre ex codice Juris Gentium LEIBNITII in Mantissa num. 18. & 25. celsi opportunitum.

148. Ex hac tandem mea historica narratione ERRORUM circa Reditus ac Fundos Ecclesiarum, & ex repetitis Judiciis ECCLESIE adversus eos Errores, judicet Lector sanus ac justitiæ & veritatis amans, An Imperanti liceat Reditus, prædia ac Fundos Ecclesiarum, a Clericis transferre ad Laicos, vel Fisco Regio addicere. Simul vero judicet de minoribus iis libris, quos initio hujus Capituli indicabam.